



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

29. Novembris. Via evitandi tribulationes, & afflictiones mentis in hoc mundo est, ut conemur conformare penitùs voluntatem nostram voluntati Dei. S. Ignat. in epist. 20. Jan. 1554.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)



29. Novembris.

*Via evitandi tribulationes, & afflictiones  
mentis in hoc mundo est, ut conemur con-  
formare penitus voluntatem nostram vo-  
luntati Dei. S. Ignat. in epist. 20. Jan.  
1554.*

**Q**uâ nos Deus ad se viâ manuducat, re-  
linquendum est curæ illius: nec au-  
rigam ad unam urgenus orbitam, quâ li-  
bet, vehere sinitur, dum quod volumus,  
veniamus.

Quid triste, & malum putas? à Deo  
nullum tale venit. Deus voluit, quidquid  
accidit; anne minoris apud te momenti  
Dei voluntas, quàm sensus tuus? cur illa  
se potiùs huic, quàm hic illi accommoda-  
re debeat?

Irafcere, quantum libet, bilem omnem  
exere, quid ad tollendum dolorem efficies?  
Si proficis, per me licet, impatiens esto;  
nullum malum minuit impatientia, auget  
omne; dolorem necesse est feras non ægrè;  
si nolis? magnum facis.

Alia felicitatis quærendæ via est; brevi-  
bus accipe: tam qui potest, quæcunq; vult,  
quàm qui non vult, nisi quæ potest, fe-

**Q**

lix



lix est; primum soli Deo competit, secundâ semitâ divinam licet æmulari felicitatem.

30. Novembris.

*Experientia docere solet, quòd, ubi sunt multa contradictiones, ibi sequatur major fructus. S. Ign. in epist. 14. Julii, 1556.*

**N**on negligit officium suum dæmon, impedire conatur, quidquid conatibus suis nociturum videt. Quæ enim concordia lucis ad tenebras expectari potest?

Astutus hostis maturè prævidet damna capiti suo destinata, ideò prævenit, ut in semine suffocet consilia, optimè conscius, initiis obviari posse faciliùs, quàm rebus adultis; ubi radices fixerit arbor, ægrius svelletur.

Quia verò imbellis est, nisi metu nostro audacior fiat, viribus diffidit suis; homines in fœdus vocat, ut hi contradictiones, velut classicum, intonent, quibus deterriti à cœpto opere desistant Apostoli.

Væ diaboli emissariis! qui, quod ille non potuit, bona præpediunt. Folles nempe sunt, quibus incendia orcus propagat, ut